



# LUDOVICI TROSSII

AD

# IULIUM FLEUTELOT

COLLEGII REGII BORBONICI QUOD PARISIIS FLORET

PROFESSOREM MERITISSIMUM

## DE CODICE

QUO AMPLISSIMUS CONTINETUR PHAEDRI PARAPHRASTES

OLIM WISSEBURGENSI


NUNC GUELPHERBYTANO

## EPISTOLA.

HAMMONE

TYPIS SCHULZIANIS.

MDCCCXLIV.



Ex egregio illo libello Tuo, quo et omnia, quae adhuc de Phaedro variisque eius paraphrastis atque interpolatoribus innotuere, breviter quidem, sed plene ac lucide complexus es, et nova multa ipse attulisti [1]), ut primum didici Marquardum Gudium [2]) mentionem fecisse codicis antiquissimi Wisseburgensis, in quo pleraeque Phaedri fabulae satis ampla paraphrasi explicatae essent, statim intellexi, si codex ille ad nostram pervenisset aetatem, fieri posse, ut plurimum inde reliquiis Phaedrianis et lucis accederet et auctoritatis. At vero quum eum Wisseburgi, instituta diligentissima inquisitione, non amplius fuisse repertum viderem, omnem eius recuperandi spem abieci, neque eum in Guelpherbytanis pluteis, quorum mihi in mentem venerat, latere veri simile videbatur, quod Lessingius, quem Gudianos, qui quidem antiquas fabulas continerent, codices diligentissime perscrutatum esse noveram, de eo ne verbum quidem prodidit. Iam autem proximis abhinc mensibus

1) Notice sur Phèdre par *J. Fleutelot.* Paris, J. J. Dubochet et comp. 1839, 8 max.

2) Ad Phaedr. L. I, fab. XIII.

Dressleriana Phaedri editio [1]) in manus meas pervenit. Quam dum perlustro, operamque a doctissimo viro in restituendis fabulis, quas intercidisse in aperto est, collocatam diligentius perpendo, natum est in animo meo consilium omnium Phaedri imitatorum atque paraphrastarum, eorum maxime, qui fabulas in prosam, quam dicunt, orationem resolverunt, in unum quasi corpus colligendorum. Sic enim sperabam fore, ut non solum de Phaedri, qualis nunc est, textu certius ferri iudicium, verum etiam ad impeditissimam illam de fabulis deperditis quaestionem nova lux posset accendi. Ac primum quidem oculos ad illustrem Guelpherbytanam converti et, id quod non exspectaveram, inter codices, qui aesopias complectuntur fabulas, codicem illum Wisseburgensem, qui cur Lessingium latuerit mox mecum intelliges, ab Eberto enumeratum vidi. [2]) Itaque Schönemannum v. cl., meritissimum illius bibliothecae praefectum, per litteras adii, ut codicem mihi utendum concederet, isque, summa qua est in litterarum cultores humanitate, precibus meis deesse noluit. Iam vero, antequam ad exsequendum conceptum animo opus me accingo, accuratiorem codicis descriptionem, additis fabularum aliarumque rerum in eo comprehensarum speciminibus, Tecum communicare constitui, eo maxime consilio, ut Te ad diligentissimam similium codicum, in instructissimis Galliae bibliothecis sine dubio latitantium, investigationem allicerem, neque dubito, (tot enim mihi iam dedisti amicitiae ac liberalitatis documenta,) quin hac in

1) *Phaedri*, Augusti liberti, fabulae aesopiae, cum veteres, tum novae atque restitutae. Ad fid. codd. recognovit *Ch. Timoth. Dressler*. Budiss. 1838, 8.

2) Bibliothecae Guelpherbytanae codices graeci et latini classici. Recensuit *Fr. Ad. Ebert*. Lipsiae, 1827, p. 3, No. 15.

re ad communem antiquarum litterarum utilitatem mihi sis gratificaturus.

Est autem codex (GUD. 148) formae fere quadratae, cuius altitudo novem, latitudo septem pollices aequat. Membranae sunt partim tenues, partim crassiores, satis albae, ubi vetustate vel madore genuinus color non est mutatus. Scriptura longobardica initium seculi X. prodit charactere elegantissimo, rotundo ac pleno, qualem in pulcherrimis illius temporis libris manu scriptis plerumque offendimus. Initiales et pleraeque titulorum litterae miniatae trium fere linearum altitudinem occupant, in lemmatibus vero itidem miniatis aliquanto sunt minores, omnes autem elegantes iisque simillimae, quibus antiquissimus Virgilii codex Mediceus scriptus est, quem Pet. Franc. Fogginius A. S. MDCCXLI typis describendum curavit. Litterae minusculae, quas vocant, atramento subfusco quidem, sed claro ac perspicuo scriptae sunt. Scribendi compendia haud ita multa, et interpunctionis signa plane eadem sunt, quae in codice Pithoeano Bergerus observavit, litterarum quoque eaedem permutationes. Pro *inquit* plerumque *inquid,* pro *atque* scriptum est *adque,* id quod in antiquissimis quibusque codicibus obtinere, qui harum rerum periti sunt, norunt. Est autem codex foliorum CXXIV, quorum primum recentiore manu littera A., reliqua numeris 1 ad 123 insignita sunt. Quaevis pagina viginti septem lineas complectitur, nisi quod inter singulas fabulas saepe quinque et plurium linearum spatium vacuum est relictum. Involucrum libri tabellis constat ligneis, corio obductis bullisque aeneis ornatis, saeculo fere XV. additum. Eiusdem aetatis inscriptio est, quae in primi folii fronte conspicitur: *Liber monasterii scorum petri pauli aplor. in wissenburg. In claustro.*

Miscelli generis est codex, sed eadem manu iisdemque litterarum formis ad calcem usque exaratus. Et primo quidem loco Iuliani Toletani *prognosticorum futuri seculi libri tres* occurrunt a folio primo ad folium nonum et quinquagesimum pertinentes, quibus in aversa parte folii A. haec praecedit inscriptio:

IN NOMINE DNI
ET SALVATORIS NRI
IHV XPI INCIPIT LIB PRO
NOSTICORV FVTVRI SECLI
VTE FELICITER SPASAN DE PAPA 1)
IUGIA PER SCLA LONGA SCISSIMO
AC PRE CETERIS FAMILIARIS AMICI
DOMNO IDALIO BARCINONENSIS
SEDIS EPO IULIANUS INDIGNUS
CATHEDRAE TOLETANE

De hoc opere saepius edito deque egregiis prorsus codicis nostri lectionibus alio tempore disserendi opportunitatem habiturum me spero. Integrum interim summa, qua fieri potuit, accuratione in futuros usus describendum curavi, quod tanta est lectionis varietas, ut taediosum sane describendi negotium minus operae postularet, quam conferendi cum editis libris diligentia.

---

1) Haec quid significent expiscari non potui. Videant peritiores.

Sexagesimum folium breves vocabulorum *allegoriae, aenigmatis, tropologiae, parabolae, paradigmatis, prosae, dialogi* et *apologetici* explicationes et parvus *de octo vitiis* tractatulus implent. Sequuntur a folio sexagesimo primo usque ad folii octogesimi secundi primam paginam Aesopiae fabulae, quinque libris distributae, quarum inscriptio in aversa folii praecedentis (LX.) pagina quinque linearum spatium occupans haec est:

INCIPIT LIBER ESOPI MAGIS

TRO RUFO AESOPUS

SA LU TEM

Excipit fabulas Anonymi glossa prosaica in canticum canticorum, a Willerami glossa plane diversa, qua aliquot saeculis est vetustior. Initium faciunt octo versus hexametri, quos huc transscribo:

*Hunc cecinit Salomon mira dulcedine librum*
*Qui tenet egregias sponsi sponsaeque camenas*
*Ecclesiae et Christi laudes hinc inde canentes*
*Et thalami memorat socios sociasque fideles*
*Has rogo menti tuae* [1]) *iuvenis mandare memento.*
*Cantica sunt nimium falsi haec meliora Maronis*
*Haec tibi vera canunt vitae praecepta perennis*
*Auribus ille tuis male friuola falsa sonabit.*

1) Manu secunda mutatum in *mente tua.*

Finitur hic glossator in prima pagina folii XCVIII. his verbis: *crebra uisitatione me consolari memento.* Deo Gratias Amen.

Quartum locum obtinet Anonymi liber de natura quorumdam animalium, in quo eorum proprietates mystice ad veteris novique Testamenti dicta referuntur et explicantur. Is vero nihil fere continet bonae frugis. Denique sequuntur a folio CIX. duo libri incerti auctoris, quorum prior *de diversis monstrorum generibus* LVII., alter *de beluis et serpentibus* LX. capitibus absolvitur, quos libros et in Pithoeano codice Phaedrum subsequi, e Bergeri praefatione videre licet.

Iam quum de externo codicis nostri habitu satis superque sermonem produxerim, ad ipsum Phaedri paraphrasten accedendum est. Diversus is est ab utroque Romulo, et Divionensi et eo, quem Nilantius edidit, diversus quoque ab Anonymo Nilantii, et nonnulla affert, quae frustra in illis quaeras. Primo libro praeter praefationem XIV., secundo XI., tertio XI., quarto XVI. sive potius XIV., [1]) quinto XI. fabulae continentur, quarum conspectum hoc loco proponere haud alienum puto, ut, quas cum Phaedro, qualis circumfertur, cum appendice Burmanniana, et cum utroque Romulo atque Anonymo Nilantii communes habeat fabulas, primo statim obtutu pateat.

---

1) Duae scilicet fabulae a scriba, sive ob imperitiam, sive quod exemplum ante oculos habebat, cuius folia ordine turbata erant, in quattuor divisae sunt, ita ut V. et XIII., itemque VI. et XVI. singulas tantum fabulas efficiant.

| Ms. Wisseb. | Phaedr. | Rom. Divion. | Rom. Nilant. | Anon. Nilant. |
|---|---|---|---|---|
| I, 1. | I, 1. | I, 2. | 2. | 3. |
| — 2. | I, 17. | I, 4. | 4. | 5. |
| — 3. | App. Burm. 6. | I, 3. | 3. | 4. |
| — 4. | App. Burm. 2. | II, 9. | 20. | — |
| — 5. | App.Burm.32. | II, 10. | — | 61. |
| — 6. | I, 4. | I, 5. | 5. | 7. |
| — 7. | I, 5. | I, 6. | 6. | 9. |
| — 8. | I, 6. | I, 7. | 7. | 10. |
| — 9. | I, 8. | I, 8. | 8. | 64. |
| — 10. | I, 19. | I, 9. | 9. | 54. |
| — 11. | I, 29. | I, 11. | — | 12. |
| — 12. | App.Burm.33. | II, 11. | — | 65. |
| — 13. | I, 16. | II, 12. | — | — |
| — 14. | V, 3. | II, 13. | — | 66. |
| II, 1. | App. Burm. 9. | I, 12. | 10. | 13. |
| — 2. | I, 28. | II, 8. | 11. | 14. |
| — 3. | I, 26. | II, 14. | — | 63. |
| — 4. | I, 3. | II, 16. | — | 26. |
| — 5. | II, 6. | I, 13. | 12. | — |
| — 6. | III, 6. | II, 17. | App.Nil. p.134. | — |
| — 7. | I, 13. | I, 14. | 13. | 15. |
| — 8. | I, 21. | I, 15. | 14. | 16. |
| — 9. | I, 22. | II, 20. | — | 29. |
| — 10. | App.Burm.10. | I, 16. | 15. | 17. |
| — 11. | App. Burm. 4. | I, 17. | 16. | 18. |
| III, 1. | App.Burm.15. | III, 1. | 25. | 35. |
| — 2. | — | III, 2. | 26. | — |
| — 3. | App.Burm.17. | III, 3. | — | 37. |
| — 4. | App.Burm.18. | III, 5. | 28. | 39. |
| — 5. | App.Burm.20. | III, 6. | — | 40. |
| — 6. | I, 7. | II, 15. | App.Nil. p.134. | — |
| — 7. | I, 2. | II, 1. | 18. | 21. |

| Ms. Wisseb. | Phaedr. | Rom. Divion. | Rom. Nilant. | Anon. Nilant. |
|---|---|---|---|---|
| III, 8. | I, 31. | II, 2. | 19. | 22. |
| — 9. | I, 23. | II, 3. | 20. | 23. |
| — 10. | I, 12. | III, 7. | 29. | 61. |
| — 11. | — | III, 8. | App.Nil.p.137. | — |
| IV, 1. | — | III, 10. | 31. | — |
| — 2. | IV, 18. (Or.19) | I, 19. | — | 11. |
| — 3. | App.Burm.31. | IV, 18. | — | 60. |
| — 4. | — | II, 4. | 21. | — |
| — 5 et 13. | IV, 1. | III, 18. | — | 47. |
| — 6 et 16. | II, 8. | III, 19. | — | 48. |
| — 7. | III, 7. | III, 15. | 34. | 45. |
| — 8. | IV, 8. | III, 12. | — | 42. |
| — 9. | App.Burm.21. | III, 13. | 32. | 43. |
| — 10. | App. Burm. 5. | III, 14. | 33. | 44. |
| — 11. | — | III, 16. | 35. | — |
| — 12. | App.Burm.22. | III, 17. | 36. | 46. |
| — 13. | vid. ad. 5. | — | — | — |
| — 14. | IV, 22. | II, 5. | 22. | — |
| — 15. | — | III, 11. | App.Nil.p.137. | — |
| — 16. | vid. ad. 6. | — | — | — |
| V, 1. | V, 10. (Or. 11) | III, 7. | — | 62. |
| — 2. | IV, 13. | III, 20. | 37. | 49. |
| — 3. | IV, 3. | IV, 1. | App.Nil.p.138. | — |
| — 4. | III, 18. | IV, 4. | 39. | — |
| — 5. | III, 2. | IV, 5. | App.Nil.p.139. | — |
| — 6. | — | — | — | — |
| — 7. | III, 12. | I, 1. | 1. | 1. |
| — 8. | — | — | — | — |
| — 9. | App. Burm. 3. | — | — | — |
| — 10. | V, 10. | — | — | — |
| — 11. | II, Epilog. | IV, 22. | — | — |

Vides igitur, Vir clarissime, id paraphrasten Wisseburgensem prae ceteris eiusmodi fabularum interpolatoribus habere singulare, quod librorum numerus, quamvis diverso fabularum ordine, cum Phaedrianorum apologorum in quinque libros divisione, quam ab ipso poëta profectam esse Aviani praefatio documento est, concordat, unde iam suspicari licet, hasce fabulas omnes e Phaedri iambis in prosam orationem esse resolutas. Eiusmodi suspicio quin non modo a vero non longe recedat, verum potius certissima sit, inscriptio libri in nostro codice secundi vix amplius sinit dubitare, quae haec est:

INCIPIT LIBER SECUNDUS AESOPI FABRI.

Etenim in postrema voce Phaedri ipsius nomen latere, quis est, quin statim videat? Itaque si has nostri paraphrastae fabulas et eas, quas uterque Romulus et Nilantii Anonymus complectuntur, cum Phaedri, quales nunc sunt, libris comparaverimus, pro explorato habendum erit, plurimas intercidisse huius poëtae fabulas, quae iam dudum doctorum virorum erat suspicio [1]).

Neque tamen iis assentior, qui sex pluresve Phaedri libros constituunt, quum quinque tantum ab Aviano memorentur eius poëtae libelli. Sic enim mihi persuasum est, quinque illos libros longe, quam nunc sunt, primitus fuisse ampliores, neque integros ad nos pervenisse, sed quasi decurtatos ac mutilatos, ita ut nonnisi exiles universi operis nunc supersint reliquiae. Quod quî factum sit, quam primum satis otii nactus fuero, uberius exponere aggrediar.

1) Cf. *Burmanni* ad Phaedr. praef. in ed. mai. Leidae, 1727, 4, cuius, qui huc pertinet, locum transscripsit *Dresslerus*, p. 13.

Nunc ad eam codicis partem redeundem est, qua paraphrastes, de quo loquimur, continetur.

Est is, ut iam dixi, eleganter quidem exaratus, sed adeo in plurimis fabulatoris locis mutilus ac vitiosus, vix ut aliquam sententiam e verbis elicere possis, et librarius homo fuisse videatur imperitissimus ac sermonis latini omnisque elegantiae prorsus expers. Siquidem insignia ignorantiae documenta, quae quin ipsi librario sint imputanda, dubium esse non potest, in quavis fere pagina, maxime in lemmatibus, deprehenduntur, qualia sunt: *de mus parturiens, de naturale genus, de taciturnitate hominibus.* Nihilo tamen minus longe plurima corruptelarum exempla eiusmodi sunt, ut librarium in describendo usum esse prodant vetustissimo quodam exemplari, litteris scripto lectu difficilioribus ac iam evanescentibus, et in quo foliorum, quod ex libri quarti duabus illis fabulis intelligitur in quattuor partes discerptis, ordo esset turbatus. Quod quin ita sit, haud dubitabit, qui in ceteris libris eodem volumine comprehensis et ab eodem librario perscriptis paucissima aut nulla fere similis ignorantiae atque oscitantiae inveniri vestigia cognoverit.

Sed aliquanto post, et seculo quidem XI., pluribus in locis, in quibus verba manifesto erant corrupta, alter quidam librarius, qui correctius exemplar nactus fuisse videtur, ita codicem nostrum emendavit, ut non singulas tantum voces, verum totas lineas atque integras subinde periodos, deletis aut erasis, quae prius scripta essent, verbis substituerit, in quo tamen interdum et sinceriorem lectionem obliteratam esse dolendum est. Quare, ut integrum cuique sit de hoc codice eiusque auctoritate iudicium, quidquid ab altero illo librario profectum est, in exhibendis mox speciminibus, typis cursivis, quas vocant, describendum curabo,

notatis diligenter, sicubi indagari poterant, prioris lectionis vestigiis.

Ac primum quidem libri V. fabula X. specimen esto, quoniam et libri et fabulae numerus cum edito ex Pithoeano codice Phaedro conspirat, et versuum ratio nullam fere mutationem passa est.

### DE TAURO ET VITULO.

Angusta in adita taurus luctans cornibus quum uix intrare posset ad praesepia monstrabat uitulus quo se pacto plecteret tace inquid ante hoc noui quam tu natus esses Nam qui doctorem emendat sibi displicet.

Secundum locum libri I. fabula XIII. occupet, quum ut insigne depravationis, qua laborat, exemplum proponam, tum quod aliam, atque nunc est, olim fuisse Phaedriani apologi (I, XVI.) formam ac conditionem suspicari paene cogit. Namque, ne de reliquis dicam, in postremis verbis tam manifesta deprehenduntur versus iambici vestigia, vix ut queant inepti ac rudis interpolatoris additamentum haberi, qui versus quin facili verborum transpositione ita possit restitui

„*Sic et decipiunt vestrae me fallaciae*,“

non est, quod addubitemus. Sed et alia cum edito poëtae textu minus videntur concinere, quae tamen acutioribus extricanda relinquo.

### DE FRAUDATORIBUS.

Fraudatores commutantur [1]) fide dictores

1) Legendum ex Romulo: *cum mutuantur*.

dant improbos. Ab oue rogatur ceruus modium ſibi commodari· Die poſita eum redde*re*· [1]) Fide dicente quidem lupo illa lupo promiſit· Uenit poſt paululum domi· uenerunt lupus et ceruus· Ou*is* [2]) uero de concluſo ceruo ſic ait· Inima [3]) territa praeſentia promiſit euadendi cauſa. et nunc legulo cominita· [4]) Dies adest. . qu*iſ* re*ddet*. *tu* [5]) quatis ungula campum. lupuſ uero petit magnam ſiluam· Sic et ueſtra*e* me decipiunt fallatia*e*· [6])

His uberiorem fabularum delectum addere placuit, quum earum, quae apologos e codicibus Pithoeano ac Remensi et ex utroque Perotti libro, Neapolitano ac Vaticano, editos referunt, tum earum, e quibus Appendix Burmanniana confecta est. Quas si cum utroque Romulo et Nilantii Anonymo paullo accuratius contuleris, quaenam paraphrastae nostri ratio sit atque indoles, ipse diiudicabis.

## LUPUS ET AGNUS.[7])

(I. 1.) Agnus et lupus ſicientes ad riuum e diuerſo uenerunt· Surſum bibebat lupus

1) Primum scriptum erat *meum redderi;* sed *m* erasum et *i* secunda manu mutatum est in *e*.

2) Primum *oues*, quod secunda manus correxit.

3) L. *inimici*.

4) Num: *tegulo communita*, i. e. tecto munita?

5) Ante *quis* duae litterae erasae sunt; vetustior lectio indagari non potest.

6) Fuerat *veſtra* — *fallatia*, quod secunda manus emendavit.

7) In codice nulla est huic fabulae inscriptio.

longeque inferior [1]) agnus· Lupus ut agnum uidit ſic ait· Turbaſti mihi aquam bibenti· Agnus patiens dixit· quo modo aquam turbaui tibi quae a te ad me currit? Lupus non erubuit. ueritati *mendacium praeferre.* [2]) et maledicis mihi inquid· Agnus ait· *non maledixi uerum* dicens· De aqua loquimur· et lupus dixit· Et pater inquid tuus ante ſex menſes male dixit mihi· [3]) Agnus ait· Ego natus non eram· Lupus inproba fauce ait· et adhuc loqueris latro? et ſtatim ſe in eum direxit et innocenti uitam *tulit·* [4]) Haec in illoſ dicta est fabula qui calumniis laedunt innocentes.

## QUI DE SALUTE ALTERIUS *ADUERSA* COGITAT NON EFFUGIET POENAM.

(I. 3.) Muſ cum transire uelſet flumen *a* [5]) rana petiuit auxilium· Illa rana groſſum linum ſumens· murem ſibi ad pedem ligauit et na-

1) Sic cod. Secunda manus mutavit in *inferius*.

2) Post *ueritati* quinque fere litterae erasae sunt. Videtur locus ita scriptus fuisse: *Lupus non erubuit ueritati et ait;* nam distinctionis signum, ut ex atramenti colore videre licet, additum est secunda manu, quae et verba „*mendacium praeferre*" superscripsit.

3) Sic primitus scriptum erat. Secunda manus horum loco scripsit: *pari modo fecerat.*

4) Secunda manu, abrasa priore scriptura, quae quid expresserit non liquet.

5) Scriptum erat: *ranam petiuit,* quod secunda manu correctum est.

tare per fluuium coepit· In medio autem flumine rana se deorsum [1]) mersit· et mus natare per fluuium coepit· Miluus ut murem uidit hunc unguibus rapuit· et secum murem et ranam sustulit· Sic ergo dum aliquis periculum operatur se ipsum perdit.

## PRAECEPTA PARENTUM AUDIRE

(I. 5.) Natorum semper laus· capella cum esset recens feta ad pastum uellens ire in siluam. ignarum monuit haedum et mandauit ne alii aperiret. quod clausum super eum fecerat· propter quod *multas feras uenire sciret* [2]) ad stabula pecorum Ita commonuit haedum et sic capella [3]) siluam petiuit· Paulo post uenit lupus uocem adsimulans mat*ris.* [4]) Aperi mihi inquid precor. aperi tuis plenis uberibus. *at haedus* [5]) per rimas *aspiciens et* [6]) auscultans ait· Uocem matris audio non figuram· Inique nostrum captas sanguinem sed mo*nuit* [7]) me qui te nouit et metum tuum propter relinquere.

---

1) Prius fuerat *indeorsum*, sed praepositio erasa est.

2) Primitus fuerat: *quod nullae forte ad stabula.* Secunda manus mutavit et superscripsit *feras venire sciret.*

3) Vox *capella* punctis subnotatis deleta est.

4) Prima manus *matri.*

5) Prima manus *Ad aedis.*

6) Haec verba in margine ab altero librario addita sunt.

7) Primitus fuerat: *sed mouet me.*

*A natura nemo mutatur sed* [1]) DE MALO PEIOR NASCITUR.

(I. 8.) Uicini qui erant illi frequentare [2]) nuptias· Aeſopus interueniens uicinos gratulari aſpexit· Qui [3]) continuo narrare coepit· Uxorem ſol cum uellet ducere magno clamore iou*em* [4]) conuiciis non tacuerunt. Iupiter commotus ex illis cauſam iniuriae quaerit· Tunc unus ex illis ait· Modo inquid unus eſt ſol. et aeſtu ſuo turbat omnia· uerum cogit omnia petere· [5]) Quidnam erit futurum nobis cum creauerit filio*ſ* . . . . . . . . . . [6]) Sic Aeſopus fabul*am* narr*at* [7]) ne mali ſint plures·

DE HIS QUI ÀLIQUEM LEDUNT *qualiter ſuſpecti eſſe debent.* [8])

(I. 12.) In domo dominica [9]) ſerpens conſuetudinem ad menſam fecerat· et de illius

---

1) Haec verba secunda manus adiecit. In spatio, quod vacuum relictum est inter *malo* et *peior*, erasa videtur vox Fure.

2) Sec. m. *furi frequentabant.*

3) Sec. m. *et.*

4) Prius fuisse videtur: *magno clamorē ioui;* ante magno duae litterae erasae sunt, fortasse *cū* vel *et.* Lineola quoque, quae voci *clamorē* superposita erat, erasa est.

5) Sic. cod. Sec. m. *perdere.* Legendum videtur: *omnes oppetere.*

6) Prius fuerat *filiū*, post quod tres fere voces erasae sunt, quae videntur fuisse: *siue etiam plures.*

7) Videtur prius fuisse *fabulae narrant.*

8) Haec verba secunda manu adiecta sunt.

9) Sec. m. sic mutavit: *in domum cuiusdam pauperis.*

paupertate aedebat. fouebatur reliquiis· [1]) Interpofito tempore diues effectus eft pauper. Dehinc coepit irafci ferpenti· quam manu homo ille fecur*im* tenens uulnerauit. ferpentem. [2]) Iterum paulo poft mifer factus eft. fubito ad aegeftatem deductus· Intellexit fortuna ferpenti*f* et caufam huius aegeftatis pati· Quam ut uidit repropitiare [3]) coepit ignoranti potius ignofceret· Tunc ergo ferpens dixit illi. *Ignofcam petenti* . . . . . [4]) quia paeniteris fceleris tui· Sed dum catrix clauferit [5]) non credas integram fidem· *redeo tecum in gratiam fi* [6]) obliuifcar fecuris perfidiam.

## DE PAUPERTATE PRIMO.

(II. 1.) *Meliuf eft* Securum in paupertate uiuere quam diu*item* tedio macerari. hoc quidem adprobat breuis aefopi fabula· [7]) Mus urbanus iter agebat et fic hofpicio fufceptus

1) Primitus *reliquias.*

2) Prima manus: *quam manu homo ille fecure tenens.* Secunda manus vocem *ferpentem* punctis subnotatis delevit, interpunctionis signo ante eam posito.

3) Secunda manus sic mutavit: *Quod ut uidit rogare coepit.*

4) Haec erasis, quae scripta fuerant primitus, verbis secunda manus restituit, vacuo relicto quinque litterarum spatio.

5) Sec. m. *Sed donec catrix claufa erit.*

6) Haec sec. m. in margine adiecit. Pro *fi* primitus *ut* scriptum erat.

7) Totus locus a primo librario sic erat constitutus: *Securus in paupertate quam diues tedio maccerari· Per hanc quidem adprobat* cet.

est et rogatus a mure agrario ut in qualicunque casella glandem [1]) et hordeum exhiberet· Deinde mus urbanus precibus murem agrarium ad urbem rogat· Qui uero uenerunt in urbem *et* honeſ*tam* ſubierunt domum *in qua* era*t* cellarium ingreſſi [2]) omnibus bonis plenum· et dixit· fruere inquit amice quod nobis cotidie ſuperat. Cum*que* mult*iſ* cibar*iiſ* ut*er*entur· Uenit cellararius [3]) feſtinans oſtium cellarii citius aperuit. Illi ſtepidum [4]) m*ureſ* territi fugam per diuerſa loca ceperunt· [5]) Mus urbanus notis cauernis citius ſe abſcondit· Relicto illo ad miſer ille ruſticus . . . . . . . . . . . . fugit· . . . . . . . ignarus *perparieteſ et uix auſugit Ne* conprehenderet. [6]) Ad ubi cellararius qu*od* uolebat ſuſtulit . . clauſit hoſtium cellarii et abiit· Sic deinde mus urbanus ita ruſtico blanditur dicens· Quid te *conpar* turbaſti fugiendo· [7])

---

1) Sic restitutum a sec. m. erasa littera *s*.

2) Vocabulum *ingressi* punctis subnotatis deletum est. Pro *domum in qua erat* primus librarius scripserat: *domum uerum celarium* cet.

3) Pr. m. *cū multū uaria utuntur. Cellararius* sec. m. *cellerarius*.

4) Sic cod.

5) Prima manu *fuga*. Pro *ceperunt* sec. m. *raperunt*. Videtur in codice antiquo, quo librarius usus est, scriptum fuisse: *fuga per diversa loca repserunt*, vel *fugere — coeperunt*.

6) In spatio vacuo quid scriptum fuerit, litteris penitus erasis, non liquet. Et verba *per — Ne* secunda manus erasis aliis superscripsit.

7) Illud *conpar* secunda manus interposuit, ac pro *fugiendo* scriptum erat *fugire*.

fruamur iſtis bonis· Nihil uerearis nihilque timeas· Ille autem mus rusticus necdum pavore depulſo [1]) ait muri illo urbano· fruere omnibus inquid tu qui nec morte nec timore cotidiano uideris terreri· [2]) Ego uero ibo in agro frui . . glande [3]) et ordeo ut laetus nullo pauore territus.

## DE HIS QUI SE EXTOLLUNT.

(II. 4.) . . . . [4]) de alienis bonis dum magnum ſe uellit proferre ſuaque pocius modico ornetur· Aeſopus enim hoc exemplum per fabulam prodidit nobis· Tumens *graculuſ* [5]) inanis ſuperbia pennas pauonis quae ceciderant ſuſtulit et ſe obtime ornauit· Deinde contemnens ſuos *gregi pauonum ſe miſcuit. ſed illi* [6]) ignoto et impudenti [7]) uano pennas irati iniurioſe eripiunt. morſibus autem laceratum atque ſemiuiuum fugauerunt· Male acceptus

---

1) Prima scriptura exhibebat: *pauorem degesserat.*

2) Pro *omnibus* cet. prima manu exaratum erat: *omnia inquid tuque nec mors nec timor cotidianis uidere terrere.* Unde patet legendum esse: *tu quem nec mors nec timor quotidianus uidetur terrere.*

3) Pro *frui* scriptum erat *frugi*, sed erasum est *g*. Duae quoque litterae erasae sunt ante v. *glande.* Puto fuisse *iuglande. Agro* sec. m. mutatum est in *agrum.*

4) Vox *neque* h. l. radendo deleta est.

5) M. pr. *garulus*, quod etiam paullo post recurrit.

6) Omnia haec omissa erant, quae secunda manus in margine supplevit.

7) M. pr. *innotó et inprudenti*, et mox *eripit* pro *eripiunt.*

ille garulus dixit· Redire *erubeſco* me ad propri*um* genus [1]) ubi multos ornatus contempſeram· Tunc triſtem ſuſtinuit notam ſumpſitque iniquam famam. Tunc quidam [2]) unus ex illiſ ait quos prius iniuriis diſpexerat *ſi* contemptus noſtri*ſ* fuiſſe*ſ* [3]) ſedibus· et quae natura dederat uoluiſſe*ſ* nobiſcum pati· Nec illam ſuſtineres iniuriam nec a nobis pulſus doleres· . . . . . . . . . . . . . . . . . . [4]).

## DE HIS QUI SE LAUDARI *GAUDENT* [5]).

(II. 8.) Qui ſe laudari gaudet ſit ſollicitus *ad* uerba ſubtilia ne poſtea poeniteat . .· Cum de feneſtella coruus caſeum ſibi raperet . . . alta *con*ſedit *in* arbore· [6]) Uulpis hunc *ut* uidit deinde ſic cepit loqui· O corue quis ſimilis tibi. et pennarum [7]) tuarum quam magnus *eſt* nitor et quant*uſ* de cor . . . . . . . . . [8]) tibi inter omnes videtur· Tu ſi uocem haberes claram nulla auis [9]) tibi prior fuiſſet· at

---

1) Pr. m. sic: *Redire me ad propriā genus ubi* cet.

2) *Quidam* punctis subnotatis deletum est.

3) Pr. m. *diſpexerat· contemptus noſtri fuiſſet.*

4) Quattuor vel quinque vocabula erasa sunt h. l.

5) *Gaudent* postea additum. Pr. m. *Qui ſe laudant.*

6) *Con* et *in* ab alio librario addita sunt. Ante *alta* praepositio *in* erasa videtur.

7) M. pr. *pinnarum.*

8) *Est* ab alio additum. Pro *quantuſ* fuerat *quantum.* Quid erasum sit, dignosci non potest.

9) Pr. m. *aues.*

ille dum placere *cvpit* [1]) et uocem suam ostendere ualidius ex hoc clamauit. et ore patefacto caseum [2]) deorsum sub arborem misit· quem uulpis dolosa auid*is* [3]) rapuit dentibus· Tunc uero coruus ingemuit stupore deceptus paenituit se· Sic multi *quod* [4]) uiribus non possent [5]) sapientia explicant·

## QUOS NON DECET REDDERE OFFICIUM UT QUID *IN*GERUNT *SE* MELIORIBUS. [6])

(II. 10.) Asinus uidebat cotidie catellos blandire domino [7]) et de mensa saturari multum· [8]) sic dixisse fertur asinus si animal inmundissimum sic diligit meus dominus. quanto *magis me* [9]) si obsequium illi fecero. qui et multis rebus sum utilis. sanctis fontibus alor . . . . . . cibu*s* mihi mund*us* datur· melior sum acatello· meliore uita possum frui· Cum haec asinus cogitaret uidit dominum *domum intrare* et

1) Pr. m. *cepit.*

2) Pr. m. *patefactum casium.* Et supra *casium* scriptum erat.

3) Pr. m. *auidus.*

4) Pr. m. *qui.*

5) Sic pr. m., quod postea mutatum est in *possunt.*

6) Pr. m. *Quod non decet reddere officium ut quid gerint melioribus.*

7) Sic cod. quod sec. m. praepostere mutavit in *catello blandiri dominvm.*

8) Haec vox punctis subnotatis deleta est.

9) Duae hae voces, erasis iis, quae prius scripta erant, ab altero librario restituta sunt.

profiluit et fuper *eum* ftetit et *pedeſ* priores[1]) domino inpofuit ambobus humer*iſ*[2]) et linguam in manu extergens fatigat ipsum dominum et linit maculis *ueſtem*· Clamor autem domini concitat omnes. famili*ae*[3]) fustes et lapides aripuerunt *et* afinum faciunt debilem· Membr*iſ* coftisque[4]) fractibus abiciunt ad praefepium· Haec autem fabula monftrat ne indign*i* fe offera*n*t ut melior*um* officium faci*a*nt·[5])

## *QUI ARTEM IGNORANT ILLI SE PRODUNT.*[6])

(III. 2.) Hoc autem nobis probat breuis aefopi fabula· Aequum pafcentem uidit leo fortiffimus in prato·[7]) Hunc . . . . ut uidit coepit fubdolus[8]) adpropinqua*re ei ſimulanſ ſe medicum* et familiari*u*s[9]) ad eum cum ho–

---

1) Pr. m. *rectos prioris domino* cet.

2) Pr. m. *humeribus.*

3) Pr. m. *familia.*

4) Pr. m. *membra costisque fractibus.*

5) Pr. m. *ne indignus ſe offerat ut meliores (?) officium faciunt.* Utrum *melioris* an *meliores* scriptum fuerit, discerni non potest.

6) Haec inscriptio ab alio librario in prioris locum substituta est. Prior autem inscriptio, ut e praemisso *capitulorum* indice patet, haec fuit: *Quiſquis enim ignorat nullus ſe productum fuerat.*

7) Pr. m. *inparato.*

8) Pr. m. *Hunc vero* (?) *ut uidit caput ſubdoli* cet.

9) Quid primitus scriptum fuerit, non liquet.

nore acceſſit aequuſ . . . praeſenſit [1]) dolum ſed non repudiauit· Officium . . . . . . . . . . . . . . . . [2]) quaeſiuit contra ingenium· ſincxit ſtirpem ſe calcaſſe pede· et leuato pede ait· Frater inquid ſuccure gratulor quod ueniſti· libera me quia ſtirpem calcaui· Leo patiens acceſſit quasi fraudem diſſimulans· [3]) Cui ueloċiter aequus calces turbulentos dedit· [4]) Cadenſ [5]) corpus hoſtile iacuit in terra diutius· At ubi memor ſui eſt factus nusquam conſpexit aequum intellexit caput et faciem et ſe ipſum ualde leſum et ſic dixiſſe fertur· Digne haec paſſus ſum qui ſemper lanio [6]) fui et hoſtiſ omni carni uolui eſſe familiaris et medicus illi accedere· [7]) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . [8])

## QUI SE SCIUNT ESSE FELICES NULLI FACIANT [9]) INIURIAM

(III. 3.) Du̅ uiaque memineret furtunatus eſſe rotam· [10]) equus quidem ornatus freno et auro

---

1) Pr. m. *aequum conprehendit.* Num: *equus comprehendit,* i. e. intellexit?

2) Sex fere vocabula erasa sunt, quorum postremum fuit *locum;* reliqua assequi non potui.

3) Pr. m. *deſimulans.*

4) Pr. m. *turbulentus dedit.*

5) Pr. m. *cadet.*

6) Pr. m. *lanius.*

7) Pr. m. *melius illi accidere.*

8) H. l. Sex septemve voces plane erasae sunt.

9) Pr. m. *faciunt.*

10) Legendum *dubiamque meminerint fortunae eſſe rotam,* ex Rom. Div.

et argento nec non [1]) et ſella pulcerrima decoruſ membra iuventa [2])· Occurrit aſino grauato mulis et qui forte eſcam paruam habebat quia illo tranſeunti · tardius dederat uiam· aequus dixiſſe fertur aſino ſatis *me cohibeo quod te calcibus non disrumpo.* [3]) qui obuianti mihi *uiam* non reddiſtit · iterror*e* ac ſuperbi*a* [4]) illius tacuit miſer aſellus et cum gemitu teſtatur deos· Deinde non longo tempore aequus currendo ruptus eſt. et cui nulla fuit diligentia macer effectus eſt. Iubetur deduci ad uillam agro ut portaret ſtercus accepit ornamenta ruſtica et hon*v*ſtus [5]) ibat ſemitam· Aſinus in prato paſcens agnouit iam infelicem *quem* [6]) increpat talia dicens· quid tibi profuerunt tunc illa ornamenta pretioſa· Nunc et tu modo fungis ruſticana officia [7])· Numquid modo habes audaciam· Admonet haec fabula ne quis in potentatu ſuo uelit aliquos ledere·

## DE DELATORIBUS.

(III. 5.) Qui per pontentiam rapinis ſu-

1) His ex vocibus ortum videtur *nacco* ap. Rom. Div.

2) Pr. m. *decorū.* Voces *membra iuuenta* punctis subnotatis deleta sunt.

3) Quid prius h. l. scriptum fuerit, non liquet.

4) Pr. m. *terrori ac superbiae.*

5) Pr. m. *honeſtus.*

6) Pr. m. *cui.*

7) Sic cod., m. sec. mutavit in *ruſticano officio.*

*per*uenienti*bus* spern*it* [1]) pauperem. hanc nosse debet fabulam. Praedam in cubile multam [2]) sibi lupus congregauerat ut pluribus mensibus haberet *unde* poss*et* [3]) securus uiuere. uulpis ut haec agnouit uenit ad eius cubile. adtendi loci. Inquit merito te non uidi per tot dies et plus huc ueni· at lupus ait ad eam. Non de me sollicita uenisti sed ut aliqua eripias cyborum· Uulpis ut haec audiuit *pastori ait* a*gis* mihi grati*as* [4]) inquid si tibi iniquum gregis *tradidero*· [5]) pastor ait· *et* ego superueniam et tribuam si quid uolueris· tunc clau*sum* ostendit lup*um* quem lancea ill*e* [6]) confecit.

*Qui nolunt sustinere malos forte inuenient peiores defensores.* [7])

(III. 8.) Qui se tutandum commiserit homini inprobo perit. auxilium dum quaerit sine timore interit. ut narrat haec fabula. Cum se-

1) Pr. m. *subuenientis spernet.*

2) Pr. m. *multum.*

3) Pr. m. *quae possit*, unde legendum videtur *quo posset.* Pronomini ab altero librario istud *unde* superscriptum est.

4) Pr. m. *audiuit· aue mihi gratia inquid* cet.

5) Haec vox secunda manu addita est. Pro *iniquum* legendum *inimicum.* Similis error supra occurrit p. 14.

6) Pr. m. *clauso ostendit lupo̅ quem lancea illa.*

7) Haec inscriptio a secundo librario proficiscitur. Prior haec fuerat, ut e *capitulorum* indice patet: *De malis patronis.*

pae columbae fugerent [1]) asperum miluum acceptorem fecerunt defensorem, patronum. putabant se esse ab eo potius esse tutas· Acceptor fingens collisit. singulas deuorare coepit· Tunc una ex illis ait· Leuior [2]) fuit molestia nobis *importunum miluum pati·* [3]) Sed digne et bene patimur qui nos praedoni commisimus.

### *Quod aliquando laudamus mala et uituperamus bona.* [4])

(III. 10.) De fonte ceruus bibens sua cornua uidit· Nimis laudare coepit. crura tenuia uituperabat· Cum haec ceruus ad fontem *ageret* [5]) uenator*um* [6]) subito uoces. canes repente latrare coeperunt· Ceruus currens euasit malos in silua . . . . . . . . . [7]) magnitudo autem cornuorum uenantibus eum retinuit. [8]) Tunc mortem uidens ait. utiliora mihi uituperavi. Deceptiosaque laudaui. Deinde credo dictum Noli laudare ne habeas quod uituperes.

---

1) Pr. m. *fugirent*, unde videtur legendum esse *fugissent;* litterae enim *r* et *s* tam sibi in huius aetatis codd. sunt similes, vix ut internosci possint; Ceterum *Sepae* habet cod.

2) Pr. m. *leuius.*

3) Haec verba secunda manu in margine adiecta sunt.

4) Hoc lemma secunda manus adscripsit. Prius fuerat *de fonte ceruus bibens.*

5) Haec vox ab altero illo librario interiecta est.

6) Pr. m. *uenatorem.*

7) Quid h. l. erasum sit, diiudicari non potest.

8) Pr. m. *retenuit.*

## DE PARTURIENTIBUS.

(IV. 4.) Mente ad locum quisquis esse debet malo se ne credat praeuenta [1]) partu scropha cum iaceret uenit ad eam lupus et ait· expo*ne* . . . [2]) soror secura· Ipse *fungar* obstetricis obsequi*o*· [3]) et illa expono frater fetum inquit secura si tu recesseris obsecro ut des mihi honorem· *et tu olim matrem habuisti* [4]). Ille autem ut recessit statim profudit [5]) sarcinam quae si malo crederet infelicissime pareret. [6])

## DE DIVITE ET AVARO. [7])

(IV. 12.) Rogabat simius [8]) uulpem ut de magnitudine caudae illius daret *un*de nat*es* [9]) suos turpissimos coperiret quid est opus sine causa tanta longitudine? cui uulpis dixisse fertur *non curo nisi* plus [10]) longior fiat et

---

1) Pr. m. *praeuente.*
2) Pr. m. *expqrrige.*
3) Pr. m. *Ipse surgat obstetricis obsequium.*
4) Haec secunda manu in margine addita sunt.
5) Pr. m. *profundit.*
6) Pr. m. *qui se malo crederet infelicissim . . . periret.* Primitus fuerat: *infelicissime* vel *infelicissima aperiret.*
7) Sec. m. *DE DIUITE ET PAUPERE.*
8) Sec. m. *simia.*
9) Pr. m. *ut denatos.*
10) Verba *non curo nisi* secunda manu interiecta sunt, et *plus* erasum est.

*maior* . . . [1]) ut eam traham ad terram ſive per lutum et ſpinas ne meo tegmine [2]) pulchrior *uidearis* . . . . . . . . . . . [3]). *Haec* fabula increpat *illum* [4]) qui non dat quod ſibi ſuper habundat.

## DE GRATIARUM ACTIONE.

(V. 5.) Dum nox fuiſſet pantera cecidit in fouea et quia ſolet aſpectus perferri cuilibet gratiam ut hanc agreſtes uiderunt· Alii fuſtes cogerunt. alii onerant [5]) ſaxis quidam uero dixerunt contra parcite innocenti qui neminem laeſit. alii autem miſerunt panem ut retineret ſpiritum nox aduenit illis et abierunt omnes domum quaſi mortuam. poſtea ille uires ſuas refecit languidius ueloci autem ſaltu ſe exinde leuauit et ad cubilem properat. Paucis diebus interpoſitis memorata prouolat, pecudes illo loco trucidet illos paſtores negat· Iratus impetum ſiuiteis [6]) et cunctas uaſtat illorum. Tunc ſe timentes omnes et quia tunc illi pepercerat. Dant animos fugire non curant domum ſed ſibi

1) Pr. m. *magna.*

2) Huic vocabulo secunda manus superscripsit *ornamento.*

3) Pr. m. *pulcherrim* . . . Reliqua plane deleta sunt.

4) *Illum* alter ille librarius interiecit et *Nunc,* quod prima manu scriptum erat, mutavit in *haec,* parum feliciter. Namque *Hunc* scribendum fuisse perspicuum est.

5) Pr. m. *honerant.*

6) Legendum: *Irato impetu ſaevit eis.*

metuunt mortem tantum uitam rogant. et illa ſic ad eosdem dixit· Nemini inquit quis me ſaxo petierit. quis panem dederit. Uos timere nolite illis uero [1]) hoſtis qui meam petierunt mortem.

## DE CAPPONE ET GEMMA.

(V. 7.) Pullus gallinatius cum quereret eſcas reperit margaritam iacentem in indigno loco et cum doleret ſic ait fertur. Quare in ſterquilinio iaces te ſi cupidvs [2]) inueniſſet redires ad ſplendorem tuum priſtinum et decores uultus tui· ego qui te inueni in hoc loco potius eſcam quero quam te· Nec ego ſum tibi prode [3]) Nec tu mihi neceſſaria. haec tibi aeſopus narrat qui me non intellegis.

---

Ex hoc fabularum delectu satis Tibi patere arbitror, codicem nostrum, etsi ad emendandas Phaedri fabellas eas, quae ex codicibus Pithoeano ac Remensi fluxerunt, haud adeo multum conferat, tamen minime esse spernendum, quum, quod ex Romulo Divionensi et Nilantii Anonymo iam diu suspicati sunt viri docti, quodque librorum Perottinorum auctoritate confirmatum est, amplius dubitare non sinat, quin e genuinis romani fabulatoris apologis plurimi interciderint. Ad quos metro suo restituendos si peritus ver-

1) Legendum: *Illis reuerto.* Supra cod. *Nemini* pro *memini.*

2) Pr. m. *cupitus.*

3) Primitus *prodes.*

suum componendorum artifex accesserit, permulta felicius, quam id a Gudio, Burmanno et Dresslero factum est, huius codicis ope refici poterunt. Insigne huius rei exemplum praebet tertia appendicis Burmannianae fabula, quam, quod in nullo alio codice invenitur, coronidis loco huc transscribam:

### VULPIS IN HOMINE VERSA.

(V. 9.) Naturam turpem nulla fortuna obtegit humanam fpeciem cum fe uertiffet iupiter uulpem legitimis ut fedit. thoro fcarabeum [1]) uidit prorepente ex angulo notamque ad praedam celerius filuit fuperi gradu rifere magnis· erubuit patĉr uulpemque repuditam talix mis expulit his profequutus vive quod digna es modo quia digne noftris meritis non potest effe.

Facili negotio haec fabula ita restitui potest:

Naturam turpem nulla fortuna obtegit.
    Humanam in speciem quum vertisset Iupiter
Vulpem, legitimis ut consedit in toris,
Scarabeum vidit prorepentem ex angulo
Notamque ad praedam celeri prosiluit gradu.
Superi risere, magnus erubuit pater
Vulpemque repudiatam thalamis expulit,
His prosequutus: Vive, quo digna es, modo,
Quia digne nostris meritis uti non potes. [2])

---

1) Primitus fuerat *thorof carabetum.*

2) Vel etiam *Quia digna nostris meritis esse non potes.* I. H. Withofius in notis ad Phaedrum mstis, quae penes me sunt,

Iam etiam codex noster ad illustrandam Pithoeani codicis historiam dirimendamque de folio abscisso litem tam magnum affert momentum, ut ad liquidum veritas perducatur. Constat enim ex ipsis Pithoei verbis, post fabularum Phaedrianarum lineam postremam in illo codice abscissi sequentis proxime folii vestigia exstitisse. Quod folium, quamquam nullum eius amplius superesse vestigium asserit Bergerus, illud, laceratum quippe et in quo nihil fuisset scriptum, quum novum codici adderetur tegumentum, abiectum esse suspicatus, tamen olim adfuisse haud facile quisquam negaverit, nisi qui Pithoeo omnem fidem velit derogare. Et vero hoc folium nihil habuisse, quod ad Phaedrum pertineret, Bergero facile largior, non tamen assentior illud vacuum fuisse sibi persuadenti. Qui enim Phaedrum subsequitur DE MONSTRIS ET BELLUIS TRACTATUS in illo codice capite caret, id quod ex verbis *primo namque* luce clarius patet. Neque erat, quod vir clarissimus illo *namque* suspicionem praeberi statueret versionis e graeco factae, quum in isto tractatu nihil omnino insit, quo eiusmodi sententia possit fulciri. Quin potius folium illud abscissum praefationem ad tractatum de monstris et belluis fuisse complexum, fidenter statuo, codicis nostri auctoritate fretus, in quo eundem tractatum contineri supra iam monui. De quo ne dubitatio ulla possit haberi, neve liber iste, quem Bergerum A. MDCCCXXXVI. una cum aliis eiusdem argumenti libellis publici iuris fecisse abs Te didici, diutius quasi capite careat, prologum ipsum ex nostro codice transscribam:

---

longe melius legi posse putat *Quae nostris uti muneribus digne nequis.*

# INCIPIT LIBER MONS
## TRORUM DE DIUERSIS
## GE NE RI BUS

De oculto orbis terrarum ſitu interrogaſti et ſi tanta monſtrorum eſſent genera credenda· quanta in abditis mundi partibus per deserta et ociani inſvlas et in ultimorum montium latebris nutrita monſtrantur. et praecipue de his tribus orbis terrae generibus respondere petebas quae maximum formidinis terrorem humano generi incutiunt· Ut de monſtroſis [1]) hominum partibus deſcriberem· et de ferarum orribilibus numeroſisque beſtiarum formis et draconum diriſſimis ſerpentiumque ac uiperarum generibus· et dum ſermo de his per multarum ſcripturarum auctoritatem uelut excelsis ſideris fulgore olim humano generi pene ubique refulſit mendacida ea nemini iteranda putaſſem. Niſi me ueritus tuae poſtulationis a pupi praecelsa pauidum inter marina praecipitasset monſtra· Ponto namque tenebroſo hoc opus aequipero quod probandi ſi ſint uera an inſtructa mendatio. nullus patet acceſſus eaque per orbem terrarum aurato ſermone miri rumoris fama diſpergebat· quorum maximam partem philosophorum et poetarum ſcriptura demonſtrat quae ſemper mendacia nutrit. quaedam

1) Primum fuerat *monſtruoſis.* In titulo quoque *monſtruorum* erat scriptum, sed *u* utroque loco erasum est.

tantum in ipſis mirabilibus uera eſſe creduntur· et ſunt innumerabilia quae ſi quis ad exploranda pennis uolare potuiſſet et ita rumoroſo ſermo ſetā [1]) ficta probaret· Ut ubi nunc urbs aurea et gemmis aſperſa litora dicuntur ubi lapideum [2]) aut nullam urbem et ſcopoloſa litora cerneret· et de his primum eloquar quae ſunt aliquo modo credenda et ſequentem hihiſtoriam ſibi quiſque diſcernat· quod per haec antra monſtrorum marinae puellae quandam formulam ſirinae depingam ut ſit capite rationis quot tantum diuerſorum generum hiſpidae ſquamosaeque ſecuntur fabulae.

Inter hanc praefationem eamque operis particulam, quam Bergerus falso, ut iam patet, pro libri initio habuit, intercedit index capitum LVII, quae primo, qui de monstris agit, libro continentur. Hunc quoque indicem integrum describo, quo possit melius iudicari, num eadem in utroque codice, Pithoeano videlicet ac Wisseburgensi, rerum sit series, necne. Est vero hic:

I. De utriusque sexus homine. II. De huncglaco magno. III. De colosio. IIII. De his qui ambas manibus digitos sex. V. De faunis. VI. De sirenibus. VII. De ipocentauris. VIII. De homine duplici. VIIII. De ethiopibus. X. De onocentauris. XI. De ciclopibus. XII. De ercule. XIII. De ingenti puella. XIIII. De scilla. XV. De hominibus setosis. XVI. De cynocefalis. XVII.

1) Legendum videtur *rumoroſo ſermone tamen* cet.

2) Emendandum est *ibi lapideam.*

De scinopodis. XVIII. De barbosis hominibus. XVIIII. De commixto sexu. XX. De magnis hominibus brixontis. XXI. De eis qui tantum uiuunt. XXII. De barbosis mulieribus. XXIII. De pigmeis. XXIIII. De epistigis. XXV. De his qui habent plantas lunatas. XXVI. De his qui crudam carnem manducant. XXVII. De feminis quae quinquennes concipiunt· XXVIII. De monstruosis mulieribus· XXVIIII. De plantis retrocuruatis. XXX. De montibus igneis. XXXI. De caco ardie· XXXII. De quodam inmani monstro· XXXIII. De his qui manducant homines. XXXIIII. De ipsis qui tria capita habent. XXXV. De protheo. XXXVI. De his quorum oculi uelut lucerna lucent. XXXVII. De fabulani proserpinae. XXXVIII. De mida. XXXVIIII. De gorgonibus. XL. De ar. XLI. De his qui omnium linguam locuntur. XLII. De monstro in circie. XLIII. De monstro nocturno. XLIIII. De inmensis hominibus. XLV. De arpietis. XLVI. De eumenidis feminis. XLVII. De satyris et incubis. XLVIII. De titione. XLVIIII. De egione. L. De dragopentibus. LI. De minotauro. LII. De eritii. LIII. De tritone. LIIII. De antipodis. LV. De gigante. LVI. De alloidis. LVII. De orion.

Iam ob singularem argumenti gravitatem caput secundum huius libri depromo.

## DE HUNCGLACO MAGNO.

(II.) Et fiunt monſtra mirae magnitudinis ut rex huncglacus quae enim imperavit gentes et a francis occiſus eſt. quem equus a duodecimo aetatis anno portare non potuit· cuius

offa in reni fluminis infula ubi in oceano prorumpit referuata funt. et de longinco uenientibus pro miraculo oftenduntur.

Pro *Huncglacus* scribendum esse *Huuglacus* Iacobus Grimm, summum illud litterarum nostrarum decus, me monuit, cui proxime accedit codicis Pithoeani lectio *Huiglaucus*, quod edidisse Bergerum ex litteris Tuis didici. Pro *gentes* Bergerus edidit *Getis*, quod quin mutandum sit in *Iutis* non dubito. Neque tamen repugno, si quis codicis Pithoeani vestigiis insistere et *Getis* retinere malit, modo ne ad *Gothos*, sed ad *Iutas*, i. e. Nortmannos sive Danos referatur, quod miror Bergerum non vidisse [1]). Est enim *Huncglacus* sive potius *Huuglacus* plane idem atque *chochilagus* in Gest. Francor. Cap. 19, ad a. 515 — 520 et *chochilaichus* apud Gregor. Turon. III, 3, et, quod a Iacobo Grimm edoctus sum, *Hygelâc* in carmine de Beowulfo anglosaxonico, vel *Hugleikr* antiquor. Septentrional. (cf. *Kemble*, praef. ad Beowulf., *Leo*, Beowulf, p. 4 — 5, *Ettmüller*, Beowulf, p. 28 — 29,) quem eundem *Guithlacum* nominat *Deppingius* [2]). De fonte, unde hauserit τερατολόγος noster hanc narrationem, mihi non constat.

Iam e secundo libro de BELUIS AC SERPENTIBUS, qui LX. capitibus absolvitur, in eorum gratiam, quibus Bergeri

---

1) Etiam codicis nostri lectio defendi posset. Saepe enim a sequioris aetatis scriptoribus *imperare* cum Accusativo coniungitur, et vox *gentes* pro quocunque populo pagano usurpatur, qui tam est frequens harum vocum usus, ut exempla afferre supervacaneum sit.

2) *Histoire des expéditions maritimes des Normands*, 2e éd. 1844, p. 51. unde didici Hygelacum in carmine de Beowulfo *Iutarum regem* appellari.

editio praesto non est, nonnulla depromam, e quibus patebit, pleraque ab obscuro opusculi auctore sine magno iudicii acumine aut e poëtis eorumve interpretibus, aut ex aliis scriptoribus esse congesta.

> Cap. XXXIX. In lubris [1]) quoque faltibus anguis mirae magnitudinis in tempore cefauris augufti fuit qui in vere ftagna paludesque colens ranis ac pifcibus rapidam repleuit ingluviem et pofteaquam folis ardore paludes dehiscebant aduſte tunc peſtes irata cibo potuque carens agros fcintillantibus peragrauit oculis et nimiam dedit mortalibus plagam.

Hoc caput e Virgilii Georg III, 425 — 439 confectum esse, facile mihi largieris. Item ex eiusdem libri vss. 418 — 420 confectum est caput LI.

> Coluber genus eft diri ualde ac uenenofi ferpentis qui umbris et tecto fuccedere folet et ita et inprouifus et uenenofis morfibus nocet quem octauianus grammaticus feminini generis colubrum nominauit.

Neque minus caput LVIII. e *Virgilii* Aen. VIII, 685 sqq. ortum esse videtur:

> In his igitur poetarum finctionibus difcribitur quod anges gemini cum monftris et nubes ex aerae latrantes cleopatram ad nilum fugaffent exterritam quae cum antonio contra cefarem nauale proelium geffit. et ficut huic men–

1) Legendum *In calabris*.

dacium a tergo reginae monſtra et angues fincxit aethereos ita et fallaces poetarum fabulae ſibi plurima quae non fiunt uoluntariae figunt.

Denique caput XLII dignum esse puto, quod hoc loco ponatur:

Fertur et in ſicilia uiſus fuiſſe ſerpens qui lubrico laterum ſinuamine labens ſeptena uolumina globoſo corpore traxit et caeruleum fulgure ſpeciem auroe *(sic!)* per omnes miſcebat ſquamas.

Namque detexisse mihi videor antiqui cuiusdam et incogniti adhuc poëtae fragmentum, quod aliis restituendum suoque auctori assignandum relinquo.

Plura ex duobus his libris, ne in nimiam molem excrescat epistola, describere supersedeo, id tamen pro certo habeto, me, quum primum Bergeri τεϱατολόγων editio in manus meas pervenerit, omnem lectionis varietatem diligenter excerpturum et publici iuris facturum. Haud enim indignos iudico hos libros, quibus eiusmodi cura impendatur.

Praeterea adhuc monendus es, Anonymi illius librum de natura animalium, cuius p. 8. mentionem feci, fontem mihi videri Physiologi, qui sub Theobaldi episcopi nomine circumfertur, id quod tum demum animadverti, quum magna epistolae meae pars typis iam esset descripta. De quo ne quis dubitet locum de vulpe decerpo:

»Vulpis doloſum eſt animal huiusmodi ſi autem eſuerit et non inueniat quod manducet querit ſciſuram terrae et proiecit ſe ſupinam

ſurſum adtendentem et adducit flatum ſuum intra ſe omni modo et putant uolatilia eam eſſe mortuam et deſcendent ut deuorent illam. Illa uero ſubito exſurget rapit et comedit· huic ſimilabitur diabolus doloſus eſt in omni opera ſua. qui autem uoluerit accipere de carnibus eius idem de actibus eius ſtatim morietur· Nam et ſaluator de erode filio erodi diaboli ſic ait. et dicuulpulli *(sic!)* et in cantica canticorum capite nobis uulpes exterminantes uineam· de qua uinea dominus dixit uulpes traxerunt.«

Haec Theobaldus ita versibus expressit (utor autem ed. vet. s. l. et a., quae sola ad manus est):

Lena dolis multis vocitatur subdola uulpes;
  Hanc fugat agricola, nam capit altilia.
Sin habet illa famem, quia desunt, invenit artem,
  Qua sibi cantantes prendere possit aues.
In terram scissam se tendit litamque supinam,
  Et quasi sit mortua flamina nulla trahit.
Cornix aut alter corvus putat esse cadaver,
  Insidet, ut comedat, morsibus excoriat.
Illa leuis surgit subitoque volatile sumit
  Dentibus et tristem reddit edendo necem.
Unde tenet duplam, quam prodest nosse, figuram,
  Est Zabulo similis, par aliquando viris.
Mortuus est vere, qui mortem fecit habere
  Nos, et dissimilat quod mala non faciat;
Cuius edit carnem, qui rem facit omnis inanem,
  Hoc est peccatum quodlibet atque malum,
Quem tunc deglutit, cum secum ad tartara ducit,

Daemon ab insidiis vulpeculae similis,
Et cum fraude viri sunt vulpis nomine digni,
Quales hoc omnes tempore sunt homines,
Fantes ore bona, sed mala corde gerunt
Herodesque fuit qui Christum quaerere iussit,
Credere se simulans, perdere dissimulans.

Vides ex his futurum Theobaldi editorem codice nostro non posse carere.

---

Iam vero (ut, unde orsus sum, revertar,) paraphrastes Phaedri Wisseburgensis Lessingium de Phaedro et Romulo scribentem facile poterat latere. Nisi enim omnia me fallunt, codex noster propter Iulianum Toletanum aliaque argumenti theologici opuscula inter libros theologicos locum suum obtinuerat, inter quos paraphrasten Phaedrianum haud facile quisquam quaesiverit, praesertim si codicum manu scriptorum catalogus minus diligenter erat confectus. Veram esse hanc suspicionem non dubitabit, qui Lessingii in perquirendo noverit summam fuisse diligentiam.

Ceterum libri in codice nostro tertii fabula decima, quod nunc demum animadverto, non, ut p. 10. scripsi, a Schwabio in errorem inductus, apud Nilantii Anonymum est sexagesima prima, sed quadragesima prima, quem errorem emendes velim. Item p. 24. pro *freno et auro* legendum est *freno ex auro*.

Tu autem, Vir clarissime, vale et me ama.

Dabam Hammone in comitatu Westphaliae Marcano
id. Maii A. MDCCCXLIV.

---